



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Qui dicantur Regul. & Monachi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

§. I.

Qui dicantur Regulares, & Monachi.

1. Regulares dicti à Regula speciali.
2. Monachi & Moniales à solitudine.
3. Mendicantes non propriè Monachos esse.

Clerici in genere alii sunt Sæculares, de quorum moribus & bonis externis expositum est hæcenus, alii Regulares, de quorum etiam vita & moribus bonisque externis videndum est.

1. Regulares dicuntur à Regula speciali, quam profitentur; aliterque Religiosi appellatur, quia certæ Religionis adstricti sunt. Et inter hos alii sunt & dicuntur Abbates & Abbatissæ, alii priores, iique vel Claustrales vel Conventuales, alii Superiores, alii simplices Monachi seu Religiosi aut Moniales. Tales quoque sunt Canonici Regulares, milites Hospitalarii, Teutonici, aliique, qui sub certa & approbata à Sede Apostolica regula ad tria vota substantialia, paupertatis scilicet, obedientiæ & castitatis se obstrinxerunt, *c. fin. infr. De religiosis domibus juncto cap. unico eod. in 6.*

2. Monachi verò & Moniales solitudine claustrii, cui se adstrinxerunt, nomen sortiti sunt, *can. 1. & 8. xv. q. 1.* Monachus enim Græcè dicitur, qui Latine est solitarius ac singularis, *d. can. 1. & 8.* non quòd seorsim, extra aliorum Fratrum consortium, vivat vel vivere debeat, cum id facti verentur Canones, *c. 1. De statu Monach & similibus*: sed quòd se motus à vita & moribus sæcularium, quasi mundo mortuus, soli Deo vivat, *d. can. 8. juncto can. Qui vero 12. xv. q. 1.*

3. Hinc nomen Monachi propriè non convenit omnibus Religiosis, sed iis solis, qui vitæ contemplativæ dediti sunt. Adeoque Mendicantes, cum assidue inter homines versentur, non sunt propriè Monachi. Multò minus, qui

ex instituto sunt Clerici seu Sacerdotes, uti Canonici Regulares & Religiosi Societatis JESV. *Less. 2. De iure & iustitia c. 41. dubit. 1.* Alia enim, ut ibidem ait, est Religio Clericorum, alia Monachorum, *c. Licet 18. h. t. can. Nullus, con. Mandatum 19. q. 3. & alii juris*: quamquam in favorabilibus nomine Monachorum veniant omnes Religiosi, ut docet Panormit, *inc. Ex parte sup. De postulat. Prælator.*, & quæ de Monachis à jure statuta sunt, pertineant etiam ad Canonicos Regulares, Eman. Roderic. *Quæst. Regul. tomo 2. q. 51. artic. 5.*

§ II.

Quo pacto fiant Monachi.

1. Fiant dupliciter, vel parentum oblatione, vel professione.
2. Professio vel expresse fit.
3. Vel tacite.
4. Dicitur Conc. Trident. de tempore professionis Monastica.
5. Quatenus Concilium admittat tacitam professionem.

1. Fiant autem Monachi vel parentum devota oblatione vel propria professione, *can. Monachum 22. q. 1. c. Cum virum 22. h. t.* Parentum oblatione, veluti si pater vel mater filium filiamve impuberem monasterio alicui tradat. Hoc tamen casu potest filius, major factus & ingressus annos pubertatis, dissentire, & ad sæculum redire, *d. c. Cum virum, cum similibus*: nam professio Religionis Monasticæ ante pubertatem emissã non obligat, ob defectum iudicii, *c. significatum 1. hoc tit. & c. t. eod. in 6.*

2. Professio propria duobus fit modis, expressè vel tacite. Expressè, si pubes nominatim se Religionis alicui devoveat (quibuscumque verbis utatur, modò per illa intendat se Deo & Religionis obstringere, *Less. De iust. & iure c. 41. n. 57.*) in manibus Abbatis vel alterius Superioris, aut etiam simplicis Monachi, à Prælato mandatum habentis, prætenubus aliis ejusdem Monasterii Fratribus, aut si professio antea factam expressè ratam habeat, licet habitum non assumpsit nec assumat Monachalem, quia Monachum non habitus sed professio facit, *c. Porrectum 13. c. Ad Apostolicam & c. Ex*